



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 44. Principum atque Illustrium extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII etiam Cardinalis nominatus, variisque
 A.C. 1687. Patrum cœtibus aggregatus, ad Hi-
 spaniæ Regis nominationem ab Ale-
 xandro VII. Papa Tarentinam Ecclesiam
 obtinuit, quam cum aliquamdiu non
 sine magno gregis sui proventu rexisset,
 tandem decessit, anno ætatis suæ se-
 ptuagesimo secundo.

§. XLIV.

Principum atque Illustrum extrema.

Obiit hoc item anno Maximilianus
 Gandolphus Comes de Khüenburg
 Archiepiscopus Salisburgensis, S. R. E.
 Cardinalis, qui in Styria natus, atque
 a teneris ad omnem pietatem enutritus,
 Romæ Theologiæ scientiam hausit:
 inde reversus, anno hujus sæculi quin-
 quagesimo quarto Salisburgensis Con-
 sistorii Præses, & Lavartinus & postea
 Seccoviensis Episcopus creabatur, at-
 que Anno Christi millesimo sexcentesi-
 mo sexagesimo octavo in præfatæ Ec-
 clesiæ Archiepiscopum inauguratus,
 ab Innocentio XI. ob præclara in rem
 Christianam merita Purpuram proprio
 motu oblatam recepit, qua tamen ne-
 quidem integrum annum potitus, die
 quarta Maij ex apoplectica defluxione
 inter Sacerdotum preces animam Deo
 piensissime reddidit, postquam sexa-
 ginta

ginta quinque ætatis, & novemdecim Sæc. XVII.
 Archiepiscopatus annos expleverat. A. C. 1687.
 Princeps erat animi moderatione, Religionis studio, eruditionis copia, liberalitate in pauperes, & benignitate in subditos nemini secundus. Successorem habuit Joannem Ernestum Comitem de Thun Seccoviensem Episcopum. Pariter Marchio Brandenburgicus Ludovicus præmatura morte nonnisi viginti & unum annos natus non sine propinati veneni suspicione e vivis sublatus est, quem paulopost die vigesima Martii sequebatur Magdalena Sybilla Electoris quondam Saxonix relicta vidua. Decessere insuper Eleonora Sophia Philippi Saxo-Merseburgensis Ducis Coniux, & Ferdinandus Albertus Luneburgensis Dux.

§. XLV.

Decisiones SS. Congregationum.

Præter Innocentii XI. Bullas, quibus Decis. S. Congreg. Concil. Rit. &c.
 Asyla sæcularium Domorum abolevit, & Molinosii scripta ac propositiones damnavit, necnon S. Eduardi Regis memoriam officio publico per universam Ecclesiam in die translationis suæ celebrari præcepit, insuper sacrorum Congregationum Patres varias ediderunt Constitutiones, & quidem

Kk 4

die